



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Decas Selectarum Quæstionum**

**Vogel, Gerhard Georg Wilhelm**

**Ingolstadii, 1728**

Approbatio Facultatis Theologicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62148)

# APPROBATIO FACULTATIS THEOLOGICÆ.

**L**Egi præsentem Quæstionum ex Jure tam Pontificio quam Cæsareo selectarum Decadem, nihilque in ea inveni, quod vel Orthodoxæ Fidei vel Bonorum Morum Regulis adversetur; sed potiùs adverti singularem Prænob. D. Auctoris curam, in sententiis inter Ecclesiasticos & Civiles Juris Consultos controversis primas semper deferendi Romanæ Curix placitis; Ita tamen, ut unà simul exactè studeat observare, quod Evangelium *Matth. 22. v. 21.* docet, nimirum: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt DEI, DEO.* Adhæc propositas scitu dignissimas Materias eâ claritate ac soliditate pertractat, ut nec in Veterani Professoris opere copiosorem eruditionem, elegantio rem methodum, aut majorem in discernendis & æstimandis partium disputantium fundamentis perspicaciam facilè sit reperire; adeo ut hanc Lucubrationem à tam Juvene Jurisprudentiæ Candidato elaborari potuisse vix crederetur, nisi rara Ejus Virtus, notaque Ingenii sui Præstantia ac vasta Capacitas, juncta cum assidua meliorum, quot quot nancisci potest, Auctorum lectione & indefessa in studiorum exercitationibus diligentia, omnem dubitandi locum præriperent. Dignissimæ proin sunt istæ Primitiæ, quæ Serenissimo ac Eminentissimo sanctioris Themidos Antistiti offerantur, & hoc Clementissimo Protectore ita publici juris fiant, ut & ad perpetuum Prænob. D. Auctoris simul ac defendentis Decus ac ornamentum cedant, & cæteri insuetò hoc ejus exemplò animati Jurium Candidati felicibus ausis *meliora carismata emulari* deinceps non vereantur.

Ita censet.

CLAUDIUS GUELAT S. J. SS. Theologie  
Doctor, ac Professor Ordinarius. Sacre Fac-  
cultatis Decanus.